

tam quidem iniuriis ac simultatum pro-  
 cellis inquietam duxit. Hinc sibi velut  
 gubernatori egregio, ex tempestate ma-  
 ritima non minus gloriæ partum quàm  
 laboris. Quater eum & quadragesies cau-  
 sam dixisse testis est Plinius, cum nemo  
 sæpius accusat, semper tamen absolutus  
 fuit. Quod nisi fallor, & summæ innocen-  
 tiæ, & importuni rigoris indicium vide-  
 ri potest. Denique sexto & octogesimo  
 ætatis anno, cum à cæteris vitæ officia  
 deseruntur, accusatus ad capitalem cau-  
 sam, non adhibuit aduocatos, sed pro-  
 gressus in rostra, causam ipse suam con-  
 stantissimè defendit, adeò vt nec linguæ  
 tarditas, nec cerebri seu laterum fragili-  
 tas, nec vlla prorsus mutatio in tam lon-  
 gæuo Oratore posset intelligi. Vade au-  
 tem in ætate quassa ac ruenti, tanta re-  
 rum omnium integritas? nimirum hoc  
 illi studium iuge præstabat, & vt ipsis Va-  
 lerij verbis vtar, omnia in suo statu æqua-  
 lis ac perpetua industria continebat, nec  
 ad sui ipsius tantum, quin ad aliorum  
 quoque defendendam causam, hic sibi  
 animus eademque affuit facultas. Sub  
 ipsum enim longissimè finem vitæ, ad-  
 versus accusationem singularis, & tamen  
 maxi-